

pedimentis , ad reliqua maritima oppida vastanda , ac diripienda properaturos ; numero , ac viribus non adeo Reipublicæ classē instructam , ut pari certamine cum hoste congrediretur ; Hispanos assueta negligentiae tabe , atque artibus , neque classis in Italiam adventum urgere , neque Italicarum triremium subsidiiis periculis praesentibus occurrere : vereri subinde Patres , ne , ad Corcyram imperatore commorante , detrimenti aliquid Respublica acciperet ; cum praesertim Marcus Antonius Columna , pontificius imperator , atque Afcanius Cornius , vir clari in Philippi Regis militia nominis , qui ambo tunc Neapoli erant , Venetam classem , Turcica sese inferente , tuto Corcyrae consistere non posse existimarent , quod viribus superior hostis , scopulo adverso oppido occupato , nostras undique triemes laedere , ac ne Hispanica , Cretensisque classi conjungerentur impedire posset . Itaque Messanam maxime ad consociandas foederatorum vires opportunam censebant : in primisque id eo astruebat Columna , quod si fieret , hostes in Adriaticum sinum minime progredi ausuros , ne in reditu a nostris ad Corcyram expectarentur ; alioqui manum felici eventu conferi posse arbitraretur .

Verum Senatus , cunctis mature perpensis , Venerio scribendum censuit , hoste Adriaticum versus sinum proficiscente , Brundisium peteret ; sin fecus sibi , atque praefconsultoribus videatur , totum ei negotium se permittere ; minime vero probare , ut e sinu redeuntem Turcicam classem ad Corcyram foederati opperirentur , sed quocumque loco esse intelligerent , eo recta contenderent , praelioque decertarent . Ceterum cum Venerius imperator hostium classem Zacynthum delatam , perque speculatores de numero , copiis , viribus certior esset factus , Columnae , quin etiam Cornii sententia intellecta , cum Francisco Cornelio praetore , Aloysio Georgio Corcyrae legato , Paulo Ursino , Francisco Duodo majorum triremium praefecto consilia init : quid progrediente hoste , atque in Adriaticum se inferente , faciendum sit . Re agitata , Hydruntum , quod ibi nec statio satis tuta , neque portus clausus esset , improbatur : Brundisium , quod ad vires foederatorum conjungendas minime idoneum censeretur , nequaquam placebat . Itaque tandem Messanam

*Mandata
Senatus ad
Venerium
classis im-
peratorem .*

con-